


LVNÆ DIE 15 M. OCTOBRISS A. 2012

Idibus Octobribus a. MMXII

170

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIS  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.lkoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## ITER IN INSVLAM CYPRVM (22-29 IX 2012)

- narrat Francisca Deraedt -



Abbatia de Bellapais.

**V**ivere militare est: hoc nuper iterum experiri licuit cum, inopinanter deficiente sede nostra periegetica, ultimo pæne temporis momento tota res nobis ipsis fuit ordinanda. Itaque aeroplano die 22 m. Septembbris non sine metu condendimus, dubitantes num omnia denique bene essent composita, atque in Larnacæ aeroportum timide appulsi pæne attoniti virum vidimus optatam tabulam præ se ferentem: «Melissa - Licoppe». Sic parvus grex noster Nicosiam ductus est in deversorium ‘Cyprus Hilton’ ubi, ecce aliud miraculum, cubicula nobis re vera erant reservata.

Postero die nos statim immersimus in intricatam Cypri historiam, primumque in Ævum Medium. In animo enim fuit arcem sancti Hilarionis petere, a regibus stirpis de Lusignan exstructam.

Misellum Vidonem de Lusignan! Qui iam anno 1187 in prælio de Hattin sive de Tiberiade vocato a Saladini exercitu cladem passus est funestam, postea in Cyprum confugit ubi se regnum habiturum esse tranquillum putavit: si sciret mansionem suam æstivam nunc etiam esse in manu Saracenorum! Est enim in insulæ parte septentrionali sita, quam Turcia ab anno 1974 occupat. A quo tempore non solum ipsa insula, sed etiam eius urbs caput divisa est in duas partes limite bene custodito, quem alteri «Lineam viridem», alteri «Lineam Attila», vocant. Sic fit ut Nicosia sola urbs maneat in orbe terrarum, quæ ita sit scissa. Cum stationi appropinquamus unde, legitimis factis, nobis in partem occupatam intrare licebit, facere non possum quin Berolinense illud «Checkpoint Charlie» recorder, ubi aliquando diu licentiam exspectavimus transeundi Pergamique museum adeundi. Nil tamen hic huiusmodi: nam visa sine ulla difficultate conceduntur extra-neis lustratoribus.

Urbs Kyrenia, quam postea petimus, quamquam decimo a.Chr.n. sæculo condita, vestigia tantum præbet

temporis crucigerorum Venetorumque. Videmus eius parvum pulchrumque portum, olim a regibus de Lusignan munitum, nunc cauponulis ornatum, arcem, regias habitationes, museum confractarum navium.

Haud longe abest quin Bellapais, quo postea vehimur, totius insulæ sit locus pulcherrimus. Ex hoc magnifico ædificio gothico Præmonstratenses anno 1571 expulsi sunt ab Othomanis. Fatendum est monachos tum nulla iam auctoritate præstisset... Vivebant enim, ut fama fert, commode cum uxoribus liberisque, qui liberi soli erant, quibus noviciatus permitteretur... Postea, ut sæpe fit, lapides ad alia construenda erexit sunt, ut ambulatio inter ruinas, cupressos et aurantia plane sit poetica.

Nicosiam sub finem diei redeentes in urbis parte occupata invisimus gothicam ecclesiam cathedralem sanctæ Sophiæ dicatam, in qua reges de Lusignan coronari olim soliti erant, sæculo autem iam sexto decimo meschitam factam, ideoque duobus minaretis præditam. Mirum spectaculum: numquam antea vidi meschitam gothicam!

Vespere cenam una sumimus in antiqua urbis parte ubi innumeræ frequentissimæque inveniuntur cauponæ populares. Miror quod iuxta vias plerique iuvenes studiose sugunt istud aquarium fumaculum *nargile* vocatum, ignari manifesto se intra breve tempus tantum tabaci ingerere, quantum exhalant centum sigarella.

Lunæ die Nicosiam pedibus lustramus. At, o infortunium! Contra quam scriptum erat in libro nostro periegetico, musea, imprimis domus viri «dragoman» dicti et museum archæologicum, sunt clausa. Archæologicum museum cras videbimus, amplam autem domum Hadjigeorgakis Kornesios, qui «dragoman» sive interpres Constantinopoli anno 1809 necatus est iussu sultani, de via tantum admiramur. Inde pergiimus ad palatium archiepiscopi, ingens necnon lautissi-



Pulcherrimæ sunt picturæ parietales in Pyrgæ regio sacello.  
Hic : Lazari resurrectio.

mum ædificium anno 1961 exstructum, ante quod non ita pridem adhuc stabat ænea effigies archiepiscopi Makarios III, sex metra alta, nunc inde ablata ; deinde ad Venetianam Famagustæ portam et Byzantinam ecclesiam Panayia Chrysaliniotissa, e qua vicus circum circa nomen accepit. Hæc ecclesia totius urbis est antiquissima, quinto decimo sæculo exstructa. Ibi cum ambulemus inter innumeratas imagines sacras, vetus quædam femina nos alloquitur : ceteris multo antiquiorem hic esse picturam, beneficio sanctæ Virginis miraculose inventam ; ipsam enim somnio pluries apparuisse cui-dam piæ mulieri, identidem verba proferentem hæc : «sum pone», quibus sacerdoti relatis antiquam Virginis imaginem re vera inventam esse pone aliam recentior-em. Cum eam aure benevolâ auscultemus, anus mani-festo solitaria libenter pergit integrum pæne vitam explicantem.

Postmeridiano tempore Pyrgam petimus eiusque regium sacellum, a familia de Lusignan anno 1421 exstructum sanctæque Catharinæ dicatum, minimum sed mirum exemplum architecturæ illius temporis. Vetus et morosus custos nobis ecclesiolum aperit, tesse-ras vendit, lamentatur de nummulis acceptis histo-riamque loci narrat Anglica lingua eo clariore et elegan-tiore, quod non pauci ei desunt dentes.

Quo facto, mirum, Gaius duo pronuntiat vocabula, quæ ex eius ore non consuevimus audire : «tempus liberum»... ac redimus ad deversorium, ubi paucis horis alii quiete, alii natabulo fruuntur.

Martis die ad archæologicum museum currimus, quod pridie invisere non licuit. Dolendum fuisse id prætermittere: in eo enim plurima continentur visu dignissima. Admiramus fictilia sæculo tertio decimo ante Christum natum confecta, rarae pulchritudinis. Vasa ætatis Cypro-geometricæ III, quæ vocatur, nitidu-lis delineationibus ornata, quæ factæ videntur esse a puerulis. Attica vasa laute ornata. Statuæ multæ, in quarum medio stat Aphrodita de «Soloi» dicta a nomi-ne loci in quo est inventa; quæ elegans statua primi sæculi a.Chr.n. insulæ est insigne, ut videre possumus in subiuncto pittacio cursuali. Etiam splendidam vide-



Nicosiae in museo archæologico : vas generis Cypri et mirum rhyton smal-to ornatum (smaltum Francogallice est ‘émail’, ut legitur in Caroli Du Cange Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, Parisiis, 1883). Infra : Aphrodita de ‘Soloi’ et eius pittacium cursuale.

mus supellectilem, ollam giganteam, sellam, lectum Ægyptiacis ornamentis præditum, quæ omnia Salamine inventa sunt in regiis sepulchris octavi a.Chr.n. sæculi.

Et commodum nunc, inspecto museo, Salamine petimus, maximam sed infeliciter omnino derelictam aream archæologicam, ubi permulta adhuc effodi possunt et inveniri, ubi tamen nemo laborat, eo verisimiliter quod sita est in Cypri parte a Turcis occupata, qui veterem Græcorum historiam, ut suspicari licet, non multum habent cordi. Urbs vetustissima, Salamis, ad litus maris peropportune sita, emporium fuit magnum et dives, ut colligi potest ex amplitudine ædificiorum: theatri, inter alia, et palæstræ, quamquam urbs compluries est deleta, seditione, terræ motu, denique Arabum invasione. Libenter ambulamus inter monumentorum vestigia ad mare pulchre spectantia, antequam, paulo longius, illa adimus sepultra quorum lautam supellectilem in museo modo sumus admirati. De his autem, bone lector, plura in proximo *Melissæ* fasciculo! ☺



# DE THOMÆ A KEMPIS SERMONE ATQVE OPERE QVÆ IOANNES AGGERIVS HARLEMENSIS DISERVERIT

- refert Wolfgangus Jenniges -

*Loquela tua manifestum te facit*  
(Mt. 26,73)

Inter mirifica numeroque haud pauca quæ felix prodidit Ætas quam «Medium» vocant nemo ignorat salutiferum esse et amœnissimum et vulgatissimum opus,<sup>1</sup> animarum profecto probarum vere pabulum, quod *De imitatione Christi* inscribitur, quattuor libris instructum,<sup>2</sup> cuiusque auctor Thomas Hemerken sive Malleolus, dictus «a Kempis», videtur fuisse.<sup>3</sup>

Qui Thomas natus est in oppido *Kempen*, ad Rhenum inferiorem, quod quoad res humanas ad duacum Iuliacensem [v. *Jülich*], quoad divinas ad archidiœcesin Coloniensem pertinebat, anno 1379 vel 1380. Duodecim annos natus Daventriam (v. *Deventer*, nunc in Batavia orientali ad Isalam) petivit ut scholam illic frequentaret Latinam;<sup>4</sup> anno 1399 adulescens monasteriali sese obstrinxit disciplina in monte Divæ Agnetis (v. *Agnietenberg*), prope Swollarum oppidum (v. *Zwolle*), primum tamquam *familiaris*,<sup>5</sup> ubi anno 1406 canonicus factus atque anno demum 1413 vel 1414 etiam sacerdotio est auctus. Cœnobium hoc originem duxerat a *devotione moderna*, quæ dicitur, a Gerardo Magno<sup>6</sup> instituta, qua sæculo XV vergente novus in septentrionalem præcipue Europam et quæ ad Occidentem spectat invehebatur religionis impetus atque influxus, quibus «Dominica videlicet præcepta servarentur et misericordiæ opera Christiana devotione in pauperes exercentur». Quæ forma pietatis severioris atque mercioris horum *vitæ communis fratrum* «mirum in modum», ut verbis iterum utamur Iodoci Badii Ascensii,<sup>7</sup> «excrevit, ita ut colonias, et quasi apum sanctarum examina, ad totam fere Germaniam emitterent: sursum in Frisiā, Westphaliā, et subsequentes paulatim provincias; deorsum in Geldriā, Hollandiā, Brabantia, Flandriā, et hisce diebus Cameracum usque.»

Qua erat sedulitatem et prudentia complura Thomæ sunt etiam concedita Bibliorum et Missalium describendorum munera.<sup>8</sup> Neque scriba tantum, sed scriptor quoque fuit indefessus cuius opera septem nunc complectuntur volumina edita. Plus quam nonagenarius in monasterio suo mortuus est anno 1471, vespere diei 25 m. Iulii.

Adservatur<sup>9</sup> autem in Bibliotheca Regia Bruxelensi, quæ a rege Alberto, huius nominis primo innovit «Albertina», minutus libellus nitidula atque clarissima manu scriptus, sæculo videlicet XVII ineunte vel medio<sup>10</sup> magna cura exaratus, a fratre quodam nomine Ioanne Aggerio (ut putamus = *van Dijk*) Harlemensi,<sup>11</sup> ætate iam provecto, pietatis causa in proprium usum

compositus. Caret quidem libellus inscriptione, cum a folio incipiat, post quinque folia numero carentia, numero insignito «101»: centesimo videlicet primo. Desint igitur non pauca, quæ ignoramus, tamen materia est locuples, quoniam præter dedicationem, et præmonenda ad lectorem, et laudes quasdam,<sup>12</sup> complura de *Imitatione Christi* continent: ipsum profecto textum quattuor librorum, secundum Henrici Sommalii editionem ad autographum emendatam ad amussim descriptum,<sup>13</sup> vitam ipsius Thomæ a Kempis,<sup>14</sup> præterea «Peritiam»<sup>15</sup> et «Methodum practicam»<sup>16</sup> et «Elogia magnorum virorum»<sup>17</sup> ad eandem *Imitationem* pertinentia, necnon «Vitam Christi ex quatuor Evangelistis compendio contextam».<sup>18</sup>

Nos vero præcipue iuvit, neque *Melissæ* lectoribus studium opinamur falsuram, quæ in folio 122v reperitur brevis et concinna «Collectio locutionum q(uæ) Teutonicam phrasim redolent in libro Thomæ a Kempis, de *Imitatione Christi*». Cuius quidem Aggerianæ collectionis alia non satis liquent,<sup>19</sup> alia reapse luculenta sunt Thomæ a Kempis «Teutonicæ», i.e. Batavæ vel Nederlandicæ quam nunc dicimus, loquelæ testimonia.

Exemplo proponantur hæc:<sup>20</sup>

\*sibi rem attrahere (NL «zich een zaak aantrekken») = curam habere de aliqua re.  
I, 21: «Non attrahas tibi res aliorum: nec te implices causis maiorum.»  
II, 1: «Tantum homo impeditur et distrahit: quantum sibi res attrahit.»  
III, 41: «Fili. Noli tibi attrahere, si videoas alios honori et elevari: te autem despici et humiliari.»  
III, 44 [capituli inscriptio]: «De non attrahendo sibi res exteriores.»

cadere super (aliquid) (NL «(terug)vallen op (iets)») = configere ad aliquid.

II, 9: «Sed verus amator Christi et studiosus sectator virtutum, non cadit super consolationes; nec querit tales sensibiles dulcedines: sed magis fortes exercitationes et pro Christo duros sustinere labores.»

\*factum esse cum aliquo/aliqua re (NL «het is met iemand/iets gedaan») = actum esse de aliquo/aliqua re, finitum esse, periisse.

I, 23: «Valde cito erit tecum hic factum: vide aliter quomodo te habeas. Hodie homo est: et cras non com-

paret. Cum autem sublatus fuerit ab oculis: etiam cito transit a mente.»

**gravitas** (NL «zwarigheid») = tribulatio, cura

I, 12: «Bonum nobis est quod aliquando habeamus alias gravitates et contrarietates: quia saepe hominem ad cor revocant; quatenus se in exsilio esse cognoscat: nec spem suam in aliqua re mundi ponat.»

I, 13: «Nec magnum est si homo devotus sit et fervidus cum gravitatem non sentit; sed si tempore adversitatis patienter se sustinet: spes magni profectus erit.» II, 12: «Non enim stat meritum nostrum et profectus status nostri in multis suavitatibus et consolationibus: sed potius in magnis gravitatibus et tribulationibus perferendis.»

III, 7: «Nec etiam satis virtuose sapit; qui tempore adversitatibus et cuiusque **gravitatis** nimis desperate se gerit.»

\*III, 22: «Pro magno etiam reputo beneficio non multa habere unde exterius et secundum homines laus et gloria appetet: ita ut considerata quis paupertate et vilitate personæ suæ non modo **«nullam»** gravitatem aut tristitiam vel dejectionem inde concipiat; sed potius consolationem et hilaritatem magnam.»

III, 25: «Non ergo aestimes te veram pacem invenisse si nullam senseris gravitatem.»

III, 30: «Non debes iudicare secundum præsens senti-

re; nec sic **gravitati** alicui undecumque venienti inhæ-  
rere et accipere: tamquam omnis spes sit ablata emer-  
gendi [Vox Christi :] Si tibi admisero (var.: immisero)  
**gravitatem** aut quamlibet contrarietatem: ne indigne-  
ris, neque concidat cor tuum; ego cito sublevare pos-  
sum: et omne onus in gaudium transmutare.»

III, 35: [Loquitur Christus ad animam:] «Putas tu quod semper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non semper habuerunt tales; sed multas **gravitates** et temptationes varias: magnasque desolationes. Sed patienter sustinuerunt se in omnibus; et magis confisi sunt Deo quam sibi.»

\*IV, 10 : « Propter aliquam parvam turbationem (var. : tribulationem) vel gravitatem, sacram ne dimittas communionem ; [...] Quanto citius vales a præsenti gravitate et inertia te excutias ; quia nihil importat diu anxiari diu cum turbatione transire : et ob cotidiana obstacula se a divinis sequestrare. »

**leviter** (NL «lichtelijk») = facile.

I, 6: «Infirmus in spiritu et quodammodo adhuc carnis et ad sensibilia inclinatus: difficulter se potest a terrenis desideriis ex toto abstrahere. Et ideo saepe habet tristitiam cum se subtrahit: leviter etiam indignatur si quis ei resistit.»

\*I, 9: «Multi sunt sub oboedientia magis ex necessitate

<i>Capitula libri secundi.</i>
<i>De cetera contumacie.</i>
<i>De humiliau[m] submissio[n]e fab[ri] placet regimini.</i>
<i>De bono pacifico boe.</i>
<i>De para mense i[m]pli[ci]o[n]e.</i>
<i>De pa[ci]o[n]e.</i>
<i>De coliderando.</i>
<i>De leticia ob p[re]sciente.</i>
<i>De amo[bi]lia suo p[ar]ia.</i>
<i>De familiari amicitia.</i>
<i>De caritatis olio solatii.</i>
<i>De gratiis p[ro]p[ri]is.</i>
<i>De pacu[m]ate atomorum crux.</i>
<i>De regia via sancte crux.</i>
<i>Capitula libri tertii.</i>
<i>De interiori xpi locatione ad animam fiduciam.</i>
<i>Qua veritas intus loquitur fine scriptura.</i>
<i>Qua verba ei cum humilitate fundiuntur et q[ui] multi ea non portentur.</i>
<i>Oratio ad implorandum reuocato-</i>
<i>ni gratiam.</i>
<i>Qua veritate eum humiliante coaramus deo conuerterandis et.</i>
<i>De mirabilu[m] effectu obtaini-</i>
<i>amoris.</i>
<i>De probatice veri annois et.</i>
<i>De occultanda gratia sub humili-</i>
<i>tatis custodia.</i>
<i>De vixi estimatione suipius in</i>
<i>oculo ost.</i>
<i>Qua omnia ad eum sicut de fine vi-</i>
<i>mum sunt referenda.</i>
<i>Quo mundo dulce est fer-</i>
<i>re deo.</i>



*Editio Veneta 'Imitationis' a. 1485, per Dionysium et Peregrinum eius socium Bononienses. Tabula totius operis et insigne typographorum. Exemplar adseratum in bibliotheca Parisina Danielis Blanchard.*

quam ex charitate; et illi pœnam habent: et leviter murmurant. Nec libertatem mentis acquirent: nisi ex toto corde propter Deum se subiciant.»

I, 14: «In iudicando alios homo frustra laborat; sæpius errat, et leviter peccat: se ipsum vero iudicando et discutiendo semper fructuose laborat.»

I, 19: «Conemur quantum possumus: adhuc leviter deficiemus in multis.»

I, 21: «Sæpe est inopia spiritus: unde tam leviter conqueritur miserum corpus.»

II, 2: «Quando homo pro defectibus suis se humiliat tunc faciliter alios placat: et leviter satisfacit sibi irascentibus.»

III, 30: «Sed humanum est huiusmodi imaginationibus illudi; et parvi adhuc animi signum: tam leviter trahi ad suggestionem inimici.»

Similiter:

I, 11: «Si modicam violentiam faceremus in principio: tunc postea cuncta possemus facere cum levitate et gaudio.»<sup>21</sup>

\*libenter habere (NL «gaarne/graag hebben») = velle, præferre, malle.

I, 16: «Libenter habemus alios perfectos: et tamen proprios non emendamus defectus.»

I, 22: «Libenter haberemus ab omni miseria quietem; sed quia per peccatum perdidimus innocentiam: amissimus etiam veram beatitudinem.»

II, 3: «Non est magnum cum bonis et mansuetis conversari: hoc enim omnibus naturaliter placet; et unusquisque libenter pacem habet: et secum sentientes magis diligit. Sed cum duris et perversis aut indisciplinatis aut nobis contrariantibus pacifice posse vivere: magna gratia est et laudabile nimis, virileque factum.»

II, 9: «Libenter habemus aliquid pro solacio: et difficulter homo exiuitur a se ipso.»

III, 54: «Natura libenter aliquod solacium habet externum in quo delectetur ad sensum; sed gratia in solo Deo querit consolari: et in summo bono super omnia visibilia delectari.»

Similiter:

\*libenter velle (NL «gaarne/graag willen») = præferre, malle.

III, 16: «Hæc mihi sit consolatio: libenter velle carere omni humano solacio.»

III, 41: «Et nisi me ad hoc præparavero quod velim libenter ab omni creatura despici et relinqu, atque penitus nihil videri; non possum interius pacificari et stabili: nec spiritualiter illuminari neque plene tibi uniri.»

III, 46: «Fili. Sta firmiter et spera in me. Quid enim sunt verba nisi verba? Per aerem volant: sed lapidem non lœdunt. Si reus es: cogita quod libenter emendare te velis. Si nihil tibi conscientia es: pensa quod velis libenter pro Deo hoc sustinere.»

scire exterius (NL «van buiten kennen») = memoria

tenere.

I, 1: «Si scires totam biblam exterius et omnium philosophorum dicta; quid totum prodesset sine caritate Dei et gratia?»

super se ipsum (\*vel: in se ipso) stare (NL «op zichzelf staan») = sibi ipsi satis esse, sibi soli confidere.

I, 7: «Non stes super te ipsum: sed in Deo spem tuam constitue.»

II, 9: «Quando homo stat super se ipsum: facile labitur ad consolationes humanas.»

\*IV, 8: [Loquitur Christus ad animam:] «Si autem in te ipso steteris nec sponte te ad voluntatem meam optuleris; non est plena oblatio: nec integra erit inter nos unio.»

bene stare cum (aliquo) (NL «goed staan met (iemand)») = amicus esse alicuius.

III, 44: «Si bene steteris cum Deo, et eius iudicium aspexeris: facilius te victum portabis.»

ad cor transire (alicui) (NL «(iemand) ter harte gaan») = alicui cordi esse.

\*I, 21: «Sed quia ad cor ista non transeunt, et blandimenta adhuc amamus: ideo frigi et valde pigri remanemus.»

III, 46: «Et quare tam parva tibi ad cor transeunt; nisi quia adhuc carnalis es, et homines magis quam oportet attendis?»

III, 47: «O si tibi hæc saperent et profunde ad cor transirent; quomodo auderes vel semel conqueri?»

Est profecto Thomæ genus scribendi minime sublimme, verum, ut (Sommadium secuti) verbis utamur divi Augustini:<sup>22</sup> «incessu humile, successu excelsum, velatum mysteriis», neque «cui visum sit indignum, quam Tullianæ dignitati comparetur» neu «cervicem inclinare» nisi parato, eius libelli licebit interiora penetrare.

Restat denique ut versiculis quos in Thomam pio animo neque omnino recusante Musa ipse (nisi fallimur) noster pepigit Ioannes Aggerius Harlemensis et nostram in lectorum gaudium concludamus elucubratiunculam:

[in fol. 10v:]

Dogmata Kempisi tradis, non qualia vanus mundi, sed Christi spiritus ille probat.

Non tu linguarum formator, cordis at alti, Christum, non alias vis imitemur heros.

Sunt alii verbis qui iacent mira disertis; aurea tu nostræ verba salutis habes.

Toto proinde tuos ad libros pectore pronus, me quoties vitæ cura remordet, agor.

Maxima sunt nobis æternæ pondera vitæ, et iuvat aureolis illa tenere libris.

Hos lege non cursim, aut oculo properante libellos, qui clare et paucis cælica iussa docent.

Hi tibi vivendi recto, rectoque migrandi  
de vita, formam suppeditare queunt.  
Hi tibi barbareis superatis hostibus, aptam  
monstrant ad superum regna beata viam.

## LIBRI ADHIBITI

IOANNES AGGERIVS, Libellus manu scriptus in  
Bibliotheca Regia Bruxellensi adservatus, sigl. BRA  
4656-58, c. 1600-1650.

HENRICVS SOMMALIVS, ED., *Venerabilis] viri Thomæ Malleoli a Kempis, Canonici regularis Ordinis D[ivi] Augustini. Opera omnia: ad autographa eiusdem emendata, aucta, & in tres tomos distributa: opera ac studio R[everendi] P[atris] Henrici Sommalii è Societate Iesu. [...] Editio quarta.* Duaci, ex officina typographica Baltazaris Belleri, 1625.

MICHAEL JOSEPHVS POHL, ED., *Thomæ Hemerken a Kempis [...] Opera Omnia [...] Volumen alterum tractatum asceticorum partem alteram complectens [...] De Imitatione Christi quæ dicitur Libri IIII cum ceteris autographi Bruxellensis tractatibus*, Friburgi Brisigavorum, 1904, pp. 3-263; de editionis ratione cf. pp. 468-486 in epilegomenis.

IACOBVS HUIJBEN - PETRVS DEBONGNIE, *L'auteur ou les auteurs de l'Imitation* (Bibliothèque de la Revue d'histoire ecclésiastique 30), Lovanii, 1957. ☩

1. Plus quam septingenti numerantur codices huius operis manu scripti, præcipue e Germania et Batavia ss. XV et XVI oriundi; editiones autem inde ab anno 1471 typis impressæ et versiones, quæ vernacula sunt sermonibus primum manu scriptæ et inde publici quoque iuris factæ, vix possunt enumerari. Scribit etiam P. Henricus SOMMALIVS in editione sua (p. 319): «Cum quidam e nostra Societate Iesu, ante annos plus minus duodeviginti [i.e. circa annum 1550, scribebat enim primum a. 1568], Argirium Mauritaniae [ut putamus = *Alger*] profectus fuisset, pretium redemptionis captivorum latus, Rex, qui aliquando Christianus fuerat, eum in suam duxit bibliothecam, varia libellorum supellectili instructam. Varios hic illi codices visendos porrigit, atque in his libellum Thomæ a Kempis, de imitando Christo, vulgari Turcarum lingua conversum [!]» – Nos quidem sequemur editionem Latinam viri docti POHL, qui annis 1902-1922 septem voluminibus opera Thomæ edidit omnia.

2. Quorum tertius «Internæ consolationis» omnium est longissimus cum undesexaginta capitulis duplex fere occupet libri spatium. Primus «Admonitiones ad spiritualem vitam utiles» præbet viginti quinque capitulis dispositas, secundus, brevior, «Admonitiones ad interna trahentes» duodecim præbet capitulis, quartus, qui inscribitur «Devota exhortatio ad Sacram Communionem», duodeviginti meditationes de sacra Eucharistia offert. Tertius et quartus inter alios eminent quod alternis insigniuntur sermonibus inter animam et Deum. Non satis constat utrum opus nostrum sit origine quattuor reapse libris ab ipso scriptore eodem fine instructum, an quattuor fuerint tractatus separati, communi postea inscriptione coniuncti. Genus autem scribendi, modus locorum afferendorum atque adhibendorum, totius quoque operis mens et sensus clare indicant atque postulant unum fuisse *Imitationis* auctorem.

3. Ipsam *Imitationem* sine auctoris nomine produisse neque ullum antiquissimus (a. 1424-1427) codicibus appositum esse nomen constat. Cf. de hac refusus HUIJBEN.

4. Hanc scholam sæculo post (1483-1493) rex Alexander Hegius, qui Rudolfi Agricolæ fuerat discipulus. Illic etiam docuit Desiderium Erasmus.

5. *Familiares* autem commorabantur in monasterio cum monachis, nullis tamen votis emissis. Frater Thomæ, nomine Ioannes, prior huius monasterii fuit.

6. Vernacula appellatione *Geert Groote* dictus, qui nobili loco Daventria natus anno 1340, acri præditus ingenio studia obiit Lutetiae atque Coloniæ, beati Ioannis Rusbrochii Vallisviridis (prope Bruxellas) canonici aliorumque exemplo inde ab anno 1372 ad severiore vitam perductus, anno 1379 diaconus ordinatus, anno vero 1384, postquam ægrotos invisit, mortuus est peste et ipse correptus.

7. Cf. eius *Vitam Reverendi P[atris] Thomæ Malleoli a Kempis*, cap. IX, insertam apud SOMMALIVM.

8. Darmstadii adservatur Bibliorum Sacrorum codex, quinque voluminibus distributus, ab eius manu ut videtur conscriptus.

9. BRA 4656-58 (= Van den Gheyn 221).

10. Nulla est, quatenus perspexerimus, dies apposita, sed in libello ab ipso scriptore libri referuntur duo, anno 1600 et anno 1634 editi, prior fol. 10r, alter fol. 142r (quod tamen foliolum videtur serius additum). Manus profecto, nisi vementer fallimur, sæculi XVII est.

11. Fortasse etiam e Societate Iesu? vel ex Hieronymitis? Huius fratris nomen in ultimis libelli foliis appositum appetit.

12. Fol. 1r-3v.

13. Fol. 10r-93r. Fol. 10r: «ego hæc descripsi ex correcto exemplari» sc. edito a. 1600. Fol. 93v elegi quidam subiunguntur, ab ipso Aggerio, ut patet, compositi, de lassitudine scribendi atque de molestiis senectutis. – Autographi autem ipsius Thomæ codices varii ad hunc diem supersunt, quorum duo Bruxellis in Bibliotheca Regia adservantur, annorum 1441 et 1456, «per manus fratris thome kempis in monte sancte agnetis prope zwollis».

14. Fol. 123r-127v.

15. Fol. 4r-9v: «Peritia libelli verè aurei, de Imitatione Christi» in qua de variis argumentis loci ex *Imitatione* adducuntur apti.

16. Fol. 128r-141r. Ultimo loco (141 r/v) loci etiam similes Senecani separatim additi videntur esse. Folio denique 142 (omnium ultimo) «certissima» adducuntur testimonia quibus Thomas a Kempis *Imitationis* auctor demonstratur.

17. Fol. 94r-96v.

18. Fol. 98r-122r. Cui præmittitur fol. 97 «brevis adnotatio».

19. Veluti cum scribitur: «Lib. 4. cap. 1. §1. me reverberat = p(er)cellit. Sic lib.

3. cap. 20. §2., cap. 10. §3. [?]», quod quid Nederlandice sibi velit ignoro.

Addit: «Lib. 1. cap. 4. §2. nec p(er)tinaciter in propriis stare sensibus = nec refractarium esse». Quod etiam quatenus perspexi non satis ad Nederlandici sermonis indolem atque proprietatem accedere mihi quidem videtur. Hos locos dubios hic non tractamus.

20. Ex Aggerio desumptis nonnulla præterea nostro Marte tamquam propriæ lectiunculae fructus addimus, quæ quidem nostra insigniuntur stellula ('); locos autem *Imitationis* et nostros (') et Aggerianos ad Pohlianam editionem emendatos atque conformatos referimus. Plura etiam apud HUIJBEN p. 31, adn.

2. – Notandum est ex libro quarto vix dari exempla.

21. At contra, in I, 21 legimus: «Propter levitatem cordis et neglegentiam defectuum nostrorum non sentimus animæ nostræ dolores; sed sæpe vane ridemus: quando merito flere deberemus.», ubi «levitas» potius incuriam significare videtur.

22. *Confessiones* 3, 5. Quæ Augustini verba ad Sacrarum Litterarum scribendi genus referuntur.

# DE IMMENSO CÆLO (II)

## (AB INITIO NOSTRI ÆVI - 1543: PTOLEMÆVS - COPERNICVS)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

**P**ost Alexandriam in Ægypto ab Alexandro Magno anno 331 conditam et Museum cum Bibliotheca a Ptolemæo I Sotere ibi instructum, hæc urbs magis magisque facta est centrum studiorum scientificorum in orbe Hellenico; inter multos doctos, qui ad scientias locupletandas operam ibi dederunt, unus ad rem nostram maxime spectat.

Claudius enim Ptolemæus (c. 100 - c. 178), de cuius vita vix quicquam notum est, fuit astronomus, astrologus et geographus. Ex eius operibus duo ad nos pervererunt integra, *Syntaxis mathematica*, quæ, Μεγίστη vocata, per Arabes facta est *Almagestum* (al-majisti), et *Geographia*; hæc opera maximi sunt momenti, quia in orbe cum christiano, tum mahometano, sola et fere immutata in usu fuerunt per tredecim sæcula.

In *Almagesto* collecta sunt omnia superiorum inventa; Ptolemæus observationes astronomicas novem fere sæculorum in promptu habebat, quas optima methodo mathematica tractavit in systemate geocentrico; sic corporum cælestium motus accuratissime describere valuit. Aristotelis imaginationem crystallinarum sphærarum cælestium non assumpsit; putabat contra corpora cælestia moveri in fluido perfecto, quod nulli rei resisteret. In hoc opere etiam est index 1022 stellarum et 48 siderum, cui per multa sæcula nihil additum est.

Breviarium quoque *Almagesti* conscripsit, c.t.  
*Manuales tabulae*, adhibitu faciliores.

Alterum maius opus est *Geographia*, ubi Terra describitur ab Insulis Fortunatis usque ad Sinas; plura de eo hic non sunt dicenda, nisi hoc, quod singula loca indicantur cum latitudine et longitudine; etiam huic operi nullum par erit per multa sæcula.

De astrologia quoque Claudius Ptolemæus librum conscripsit, c.t. *Tetrabiblos*.

In Museo docti nihil addiderunt Ptolemæi operibus, sed de eis multos commentarios conscripserunt; inter quos commentatores clarissimus est Theon Alexandrinus (c. 335 - 405), ultimus Musei Bibliothecæque rector. Christianismus enim, ineunte quarto sæculo in Imperio Romano primum admissus, exeunte eodem sæculo triumphat et fit imperii religio obligatoria. Patriarcha Alexandrinus Theophilus Museum anno 391 claudit, iussu imperatoris Theodosii I. Theonis eruditam filiam Hypatiam, mathematicam philosophamque neoplatonicam, plebs christiana a fanaticis monachis excitata anno 415 bestialiter trucidat.

A quinto sæculo orbis christianus in lethargiam intrat, quod spectat ad scientias naturales; sola theologia habetur ut scientia studio digna. Res mira, Veteris Testamenti Genesis accipitur ut explicatio Universi originis, etsi æque fabulosa, portentosa et rationabiliter

incredibilis est ac mythologia veterum deorum.

Usque ad sæculum duodecimum in Occidente Latino plerumque solum trivium (grammatica, rhetorica et dialectica) in monasteriorum scholis traditur, neglecto quadrivio (arithmetica, geometria, astronomia et musica). Sæculo duodecimo Gerardus Cremonensis (c. 1114 - 1187) Hispaniam adit, ubi Toleti linguam Arabicam discat; deinde amplius 80 opera scientifica ex Arabico in Latinum vertit, inter quæ Ptolemæi *Almagestum* nonnullosque Aristotelis tractatus. Ibi, cum inveniatur antiquos catalogum confecisse omnium visibilium stellarum et motus stellarum errantium bene descriptsse, nullus progressus fit in astronomia usque quintum decimum sæculum. Cur autem post tantam inertem intercapelinem res mutari cœptæ sunt?

Variæ re vera sunt causæ, de quibus vero hic non est disceptandum; tempore Litterarum Renatarum sive Renascentiæ, quæ etiam dicitur, expergefit Occidentalium mens critica; tunc apparent homines qui audeant, non sine periculo, cogitationes scriptis exprimere, quæ a clero non comprobantur, quin etiam in dubitationem adducere nonnullas antiquorum doctrinas. Ad has novas cogitationes late divulgandas maxime pertinet typographia a Iohanne Gutenberg medio quinto decimo sæculo inventa.

Nicolaus Copernicus (1473-1543) Torunensis vocatur, cum natus sit in urbe Hanseatica *Torun* in Borussia Regali, quæ paucis annis ante regno Polonico adiuncta erat. Ei optima studia facere licuit primum in Academia Cracoviensi, ubi præter quadrivium etiam medicinæ et iuri studuit. Inde Italianum petit, ubi in universitate Bononiensi studet utrique iuri, medicinæ et philosophiæ; Græcam linguam quoque discit. Ibi hospitio accipitur apud mathematicum *Dominicum Mariam Novara*, qui de veritate Ptolemæi geographiæ inter primos dubitat. Deinde medicinæ studia pergit Paduæ; denique Ferrariæ fit doctor iuris canonici (1503). Redit in patriam et vitam primum degit in palacio episcopali oppidi *Lidzbark Warmiński*, sede sui avunculi. Non solum bonus medicus habetur, sed etiam est humanista, qui ex Græco in Latinum vertit (1509) epistulas morales Byzantini scriptoris Theophylacti Simocatta (VII s.).

Clarissimus tamen fit suis operibus astronomicis. Inter annos 1507-1515 conscribit *De hypothesibus motuum corporum cælestium a se constitutis commentariolum*; quo in opere, non ante sæculum undevicesimum prelo dato, principia enuntiat novæ theoriæ heliocentrismi. Ab anno 1512 vivit in oppido *Frauenburg*, ubi, iuvante avunculo episcopo, fit canoni-

cus. Anno 1515 operam dare incipit maximo operi, c.t. *De revolutionibus orbium cælestium*; quod non ante annum 1530 perficitur et anno demum 1543, paulo ante auctoris mortem, Norimbergæ imprimitur a quodam typographo Lutherano.

Iam quinto decimo sæculo dubium oritur de *Almagesti* veritate. In hoc enim systemate Iohannes Müller von Königsberg sive Regiomontanus (1436-1476), clarus Germanus astronomus et mathematicus, impossibilia detexit; aliquid novi est inveniendum. Heliocentrismus tempore Copernici non est cogitatio nova, sed notio terræ immobilis et in medio Universo sitæ tam inveterata est, ut notio terræ in motu ab æqualibus Copernici vix possit accipi. Qui, cum theologorum fulgura merito timeat, manuscriptum operis c.t. *De revolutionibus orbium cælestium* ad papam Clementem VII mittit. Papa Copernici manuscriptum anno 1533 accipit et legit; nihil in eo reprehendit; non nulli cardinales Romani auctorem incitant ad pergentas investigationes. His consiliis confirmatus, Copernicus opus *De revolutionibus* mittit dicatque papæ Paulo III nuper electo (1534-1549); in præfatione leguntur hæc:

«Ad Sanctissimum Dominum Paulum III, pontificem maximum, Nicolai Copernici Præfatio in libros Revolutionum.

«Satis equidem, Sanctissime Pater, æstimare possum, futurum esse, ut simul atque quidam acceperint, me hisce meis libris, quos de Revolutionibus sphærarum mundi scripsi, terræ globo tribuere quosdam motus, statim me explodendum cum tali opinione clamitent (...)


«Cum igitur hæc mecum perpenderem, contemptus, qui mihi propter novitatem et absurditatem opinionis metuendus erat, propemodum impulerat me, ut institutum opus prorsus intermitterem. Verum amici me diu cunctantem atque etiam reluctantem retraxerunt, inter quos primus fuit Nicolaus Schonbergius Cardinalis Capuanus, in omni genere doctrinarum celebris (...)

«At non tam mirabitur fortasse Sanctitas tua, quod has meas lucubrationes edere in lucem ausus sim, posse aquam tantum operæ in illis elaborandis mihi sumpsi, ut meæ cogitationes de terræ motu etiam litteris committere non dubitaverim, sed quod magis ex me audire exspectat, quid mihi in mentem venerit, ut contra receptam opinionem mathematicorum, ac propemodum contra communem sensum, ausus fuerim imaginari aliquem motum terræ (...)

«Quare hanc mihi operam sumpsi, ut omnium phi-

losophorum, quos habere possem, libros relegerem, indagaturus, an ne ullus umquam opinatus esset, alias esse motus sphærarum mundi, quam illi ponent, qui in scholis mathemata profitentur. Ac reperi quidem apud Ciceronem primum, Nicetum sensisse terram moveri. Postea et apud Plutarchum inveni quosdam alios in ea fuisse opinione, cuius verba, ut sint omnibus obvia, placuit hic ascribere...»

Non magis quam antiqui Copernicus quicquam scit de vi, qua moventur corpora cælestia; astronomi motus tantum observant eosque quam accuratissime describere conantur; postulant quoque corpora cælestia in orbitis circularibus cursu constanti moveri, sed mirantur quod planetæ certo tempore in orbita consistunt et aliquamdiu recedunt; ut hoc in suo systemate geocentrico explicet, Ptolemæus indicat planetas non solum in sua magna orbita circulari moveri sed etiam simul in minore, epicyclo vocato (vide delineationem infra). Hoc tamen modo celeritas corporis cælestis videtur non esse constans; quare addit «punctum æquans» extra orbitæ centrum situm, unde observatori virtuali celeritas constans appareat.



Hac delineatione monstratur epicyclus alicuius planetæ; punctum æquans etiam appetat baud procul a centro (imago: Wikipedia).

Copernico Ptolemæi sistema videtur nimis intricatum et rebus absurdis, ut puncto æquanti, non carens. Quare se vertit ad heliocentrismum; primus est, qui completam huius systematis theoriam mathematicam proponat in opere *De revolutionibus orbium cælestium*, cuius hæc sunt principia:

- Universum est spatium finitum, cuius limes est sphæra hærentium stellarum.
- In medio est Sol; Sol et hærentia sidera sunt immobilia.

- Circum Solem aguntur planetæ Mercurius, Venus, Terra, Mars, Iuppiter et Saturnus.
- Luna circum Terram agitur.
- Apparens cœlestis firmamenti diurna revolutio tribuenda est Terræ motui.
- Apparens annuusque Solis motus in plano ecliptico<sup>1</sup> tribuendus est annuæ Terræ revolutioni in sua orbita.
- Quod planetæ consistere et recedere videntur, etiam tribuendum est Terræ revolutioni.
- Quod anni tempora non sunt constantia (hæc est æquinoctiorum præcessio),<sup>2</sup> tribuendum est librationibus axis terrestris.

In huiusmodi systemate Terra iam non est immobile, sed duos habet motus, motum circum Solem cum revolutione unius anni et motum circum proprium axem intra unum diem. Luna sola agitur circum Terram, cetera corpora errantia circum Solem aguntur; sic inter alia facile explicatur cur planetæ Mars, Iuppiter et Saturnus videantur certo tempore consistere et recedere.


Copernicus tamen antiquorum doctrinam non totam relinquit; orbitas enim habet circulares et planetarum motum constantem. Hoc autem cum observationibus non congruit; quare schemati systematis solaris, quod primo aspectu est simplex, addere debet epicyclos, minores tamen quam eos Ptolemæi. Præterea Aristotelis doctrinam solidarum sphærarum cœlestium, a Ptolemæo reiectam, servat; earum remotissima est sphæra hærentium stellarum, Universi finis.

Copernici cogitationes a doctis male accipiuntur: intra semisæculum post opus *De revolutionibus orbium cœlestium* divulgatum, non plures quam decem eis assentiuntur, inter quos tamen tres maximi momenti, Iohannes Keplerus, Leonardus da Vinci et Galileus Galileus, de quibus postea tractabitur.


Dum vivit, Copernico Ecclesia numquam fuit infesta; nonnulli etiam inter Jesuitas ei assensi sunt. Anno 1882 eius rationes astronomicæ adhibitæ sunt in magna calendarii Iulii reformatione, quam papa Gregorius XIII (1572-1585) decrevit parandam. Postea tantum incohaera est Ecclesiæ rixa contra heliocentrismum.

Revolutio Copernicana, quæ dicitur, non est factum unius viri; cum Copernicus vita fungitur, doctrina geocentrismi sola accipitur. Opera Kepleri et Newtoni necessaria erunt, ut sub finem septimi decimi sæculi heliocentrismus accipiatur in Magna Britannia, Francogallia, Nederlandia et Dania; ceteræ Europæ civitates diutius pergent heliocentrismum respuere atque Ecclesia Romana eum agnoscat medio demum duodevicesimo sæculo. ☩

1. Planum eclipticum est planum in quo inscribitur Solis annuus cursus, si eum de Terra spectamus; oblique secat Terræ æquatoris planum. Solis cursus æquatoris planum transit duobus locis, nodis vocatis; nodus ubi Sol planum transit ascendens vocatur punctum vernale (Y). Cum Sol est in utrocumque nodo fit æquinoctium. In hac delineatione monstratur cursus Solis circum Terram, cuius planum oblique secat planum æquatoris (imago: [www.astro.com](http://www.astro.com)).



2. Æquinoctiorum præcessio: iam Hipparchus (ii s. a.Ch.n.), proprias observationes comparans cum eis præcedentium astronomorum, animadvertisit Solem ad punctum vernale adveniens non quotannis apparere eodem loco sphærae hærentium stellarum; minimam translationem annuam metiri valuit, unde collegit Solem post 26.000 demum annos in eundem sphærae cœlestis locum reversurum esse. Idem invenerunt Mayæ in America quinto sæculo p.Ch.n. Cur hoc fit? Quia Terræ axis non est stabilis, sed movetur sicut turbo circum polum, lentissime quidem, cum unum circulum describat intra 26 milia annorum. Planum æquatoris sequitur axis motum, cum planum eclipticum non movetur; ergo quotannis unum alterum non eodem loco (i.e. punctum vernale) secat. In hac delineatione planum eclipticum est cinereum; non mutatur cum sit Solis cursus. Contra obliquitas plani æquatorii mutatur, cum pendeat a Terræ axi; ergo punctum vernale, ubi Solis cursus planum æquatorii transit, mutatur et quotannis paululum recedit, unde æquinoctii præcessio, i.e. paulo maturius adveniens (imago: gravitationnel.free.fr).



# DE GERARDI VOSSII BORCHLONII ARTIS RHETORICÆ METHODO (1571) NVPER REPERTA (II)

– *scripsit Stephanus Gysens* –

**D**einde Vossius, postquam definitionem artis rhetoricae dedit (p. 17-24), «totius Rhetorices præcepta» iuvenibus lectoribus exponit per quæstionem et responsionem (p. 22 seqq.). Magister noster hausit materiam tam ex tractatibus rhetoriciis Ciceronis et Quintiliani quam ex ipsis orationibus eiusdem Ciceronis (præsertim ex orationibus *Pro Milone* et *Pro Archia poeta*). Quomodo materiam suam tractaverit, illustrari possit hoc specimine quæstionum quas posuit «de quinta parte Rhetorices, pronuntiatione» (p. 73-78) (longum est hic etiam omnia responsa dare): «Quare hanc partem alii pronuntiationem, alii vero actionem nuncupant? Quomodo dividitur pronuntiation? Quam hic figuram vocis dicis? Quotupliciter solet subdividi figura vocis? Petitur quid maxime conducat ad bonam pronuntiationem? Quo pacto vox debeat iuxta oratorum sententiam ad bene dicendum disponi? Quis est ille corporis motus, quo uti convenit in pronuntiatione? Quomodo hic corporis motus recte accommodatur? Quis usus Pronunciationis?» Hoc in modo tota ars rhetorica exponitur, etsi fatendum sit dispositionem materiæ, indice quoque absente, lectori hodier non semper luce clariorem esse. Sed fortasse culpa partim etiam typographi est. Ad tractandam materiam suam Vossius, ut ipse in fragmento epistulæ dedicatoriæ quod hic iam adduximus, indicavit, insecurus est professorem Lovaniensem Hunæum qui in operibus suis de arte dialectica hac methodo usus erat.<sup>21</sup> Etiam ex altero opere scholastico quod a. 1572 apud eundem typographum Velpium in lucem prodiit, liquet hanc methodum non inusitatam esse: *Absoluta confiendorum versuum methodus* quam hic iam sæpe nominatus Libertus Houthem conscripsit.<sup>22</sup>

Per pauca tantum exempla quæstionum et responsionum hic adducantur (p. 25, 35, 57, 127):

«Quid Rhetorica?

Eam ad hunc definiemus modum: Rhetorica est bene dicendi scientia [Quint., *Inst.* 5, 10, 54], vel de qua re proposita ornata & copiose dicendi ratio [cf. Cic., *De oratore* I, II, 48].

Quid Rhetor?

Rhetor est is qui præcepit hanc artem, vel si sic mavis, qui dicendi tradit præcepta [cf. Cic., *De oratore* I, 18, 84].

(...)

Unde in Exordiis nobis est captanda benevolentia?

Benevolentiam nobis secundum Ciceronem [cf. *Inventio* I, 16, 22] captare licet a persona, vel nostra, vel adversariorum, vel iudicis, vel auditorum, vel ab ipsis negotiis, si sint honesta & plausibilia. Nos quidem, quia in

streptu illo Forensi cum Romanis istis priscis hoc tempore non versamur: tum etiam, quia orationes invectivas & defensorias coram iudicibus non habemus, benevolentiam ab ipsis fere auditoribus captamus. Interim tamen, quia Ciceronis verba ad intelligendas suas, aliorumque priscorum, coram iudicibus (unde necesse erat benevolentiam captare) habitas orationes faciunt, hic nihil immutabimus.

(...)

Quid peroratio seu conclusio?

Conclusio est (ut inquit Cicero lib. I de Inventione [I, 52, 98]) exitus atque determinatio totius orationis. Vel ut author ad Herennium [I, 3, 4]: Conclusio est artificiosus terminus orationis.

(...)

Quid Periodus?

Periodus (quam & ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, & circumscriptionem nuncupat Cicero [*Orator* 61, 204]) est oratio, quæ suo ambitu plenam & perfectam, numerisque congruentibus astric tam complectitur sententiam. Exemplum potest esse hæc prima pars exordii orationis Milonianæ [I, 1]: ‘Etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo dicere incipientem timere minimeque deceat, cum Titus Annius Milo ipse magis de rei publicæ salute, quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem adferre non posse, tamen hæc novi iudicij nova forma terret oculos qui, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori & pristinum morem iudiciorum minime vident.’<sup>23</sup> Absoluta est periodus.»

Consilium quod iuvenis magister de vi elocutionis lectoribus suis impertiebat, lectu mihi dignum esse videtur (p. 67-68):

«Quis usus elocutionis?

Quis quantusque huius sit partis Rhetorices usus, non tam, qui ea fruuntur, quam qui ea parent, cognoscunt: apud quos enim elocutio & dicendi ratio negliguntur, apud eosdem confusum disciplinarum est chaos, artesque nisi confuse & obscure tradi queunt: unde fit, ut nec intelligentur, cum res percipi non commode possint, nisi verbis significantibus, iisque politis explicantur; unde fit, ut & illi, quibus Rhetorica maxime vilescit, hanc tamen artis laudem maxime affectant. Rerum enim natura eos adgit eo, uti verbis ideoneis & receptis, sententiisque accommodis, ea quæ vel docere vel tractare conentur, illustrant, efficitque hoc elocutio, ut Latine, plane, dilucide, ornate, apte et concinne unumquodque dicatur, atque hæc maxime convenient Rhetori.»

Præterea, quid homo noster de elegantia scripserit, non ingratum erit, ut puto, etiam nunc amatoribus bonarum litterarum (p. 124-127):

«Quid hoc in loco est Elegantia?

Elegantia hīc est, quæ efficit, ut unumquodque pure atque aperte dici videatur, atque hæc Grammaticis maxime est propria, quorum est curare, ut oratio ante omnia sit Latina & dilucida, citra quam omnis orationis supervacanea est exornatio. Cum igitur res dicendas sumus electuri & in animo nostro disposituri, prima nobis hæc incumbet cura, uti easdem sermone eloquamur grammatico: postea vero, si opus sit, ornatum & rhetoricum addamus colorem.<sup>24</sup>

Grammaticum hīc vocamus sermonem, qui verbis constat usitatis, propriis & significantibus, ex quibus oratio aperta, pura & emendata conficiatur.

Volumus autem sermonem hunc grammaticum non tantum Latina habere verba & syntaxin regulis puerilibus congruentem, verum & phrasin in eo desideramus, non tamen quilibet, sed eam quæ in loquendi modo accedit proxime ad elegantissimam & purissimam illam Tullii dictionem, aliorumque qui vel eadem ætate vixerent, ut Iulii Cæsaris in Commentariis rerum a se gestarum, Varronis, Salustii, vel his paulo inferiores fuere uti Plinii, Suetonii, Taciti etc. a quorum loquendi methodo, si tamen eleganter satis, vere Latine & non moleste loqui cupiamus, discedamus nunquam. Quod tamen non ita dictum velim, quasi perpetuo debeamus referre nos ad illos, tanquam ad Apollinis cuiuspiam oraculum & quasi nunquam etiam vocabulis novis tempestate hac nostra inventis nobis uti licet.<sup>25</sup> Utendum enim & iis quandoque est & quidem neccesario, tum videlicet, quando res ipsæ sunt novæ, & primis illis linguae Latinæ, olim apud Romanos restauratoribus ignotæ: ita tamen iisdem convenerit uti, ut interim phrasis a Latinorum non abhorreat consuetudine, alias enim horrida & inculta nimis censeretur esse Oratio.

Videmus autem ita fere comparatum, ut ii, qui nimii sunt καινοπράγοι & novitatis in dicendo assetatores, sæpenumero res perdant, ut enim res, sic & voces quibus res efferant comminiscuntur novas & inusitatas, quæ si penitus inspiciantur nihil esse aliud, quam inania quædam deprehendentur somnia. Quare verus eloquentiæ studiosus studiis suis consulere non poterit melius, quam si, quoad fieri potest, unicum Ciceronem consulat & ab eo loquendi dicendique modum petat, atque illum tanquam Aristarchum aliquem omnium scriptorum sibi constitutat.»

Cum in *Methodo* sua Vossius inprimis scriptores antiquos secutus sit, interdum tamen aliquod exemplum ex Sacris Litteris desumptum lectoribus suis proponit. Notandum etiam est quid de usu ironiæ animadverterit (p. 150):

«De usu ironiæ & eius speciebus

De ironia eiusque speciebus ne attingerem quidem, nisi hoc operæ pretium esse putarem facere, ad pleniorum intelligentiam orationum priscorum, & præsertim Ciceronis, qui in omnibus suis invectivis orationibus, ironicis hisce locutionibus plenus est. Cæterum quandoquidem Christiani & pii non est viri aliquis tacite vel aperte, verbo vel gestu ridere (iuxta exemplar Christi, qui nusquam non modestiam & charitatem commendat) Ethnicis ista relinquemus nobisque vitanda censebimus.»

In hac *Artis rhetoricae methodo* pauca exempla quoque inveniri possunt quæ homo noster ex ipsa regione Leodiensi sumpsit et quibus iuvenes studiosi sine dubio oblectabantur (p. 87):

«Quomodo laudantur fluvii?

(...)

Quomodo fontes?

Laudes fontium fere desumi solent a perpetua, eaque abundanti eorum scaturigine, a dulcedine & salubritate aquæ, item a rebus memorabilibus, si quas habent, cuiusmodi videre est apud Aquenses & Leodienses,<sup>26</sup> item apud Hongaros.

Quomodo montes?


Montes fere laudantur a radicibus, a verticis altitudine, a vini, frumenti & id genus aliarum rerum ubertate & fertilitate, item a rebus prodigiosis aut etiam præciosis, si quas in se habent, ut si aurum hauriatur, si sit ignis, ut apud Islandos Hecla,<sup>27</sup> apud Siculos Æthna:<sup>28</sup> aut si fomenta ignis, si ferrum, quomodo apud Eburones<sup>29</sup> aliisque in locis invenire est.»

Post hæc varia fragmenta ex ipso tractatu Vossii desumpta restat ut quædam excerpta subiungamus carminis a Liberto Houthen scripti.<sup>30</sup> In hoc carmine commendatio narratur visio nocturna in qua Luna («Cynthia») appetat fratri Liberto et collaudat Vossium («Est quidam veteres tibi maximus inter amicos / (...) / Cuius Lossensis vidit cunabula tellus, (...)») et recens opus eius. Dicit Vossium esse virum gravem et sincereum, «Rhetoras hic inter tantum caput extulit omnes, / Rhetoricen docta simplicitate docens (...).» Post hanc visionem Libertus amicum Vossium alloquitur, commendans hoc opus eius de arte rhetorica:

Ergo Gerarde quid est quod quis reprehendere possit,  
aliero placeant cum tua scripta Deo?  
(...)

Eloquio præstas, quod Roma diserta probasset,  
cum fuit in summo lingua Latina gradu.  
Hæc non more loquor vatum, res dicitur ipsa,  
ornatu neque laus indiget ista meo.  
Quid memorem Græco quod tam sis ore disertus  
ac si Cecropia natus in urbe fores?

Romuleos Graio commutas carmine versus,  
et donas Latio carmina Græca pede.<sup>31</sup>  
Ista velim iuvenes current exempla secuti,  
Romanis iungant pallia Græca togis.  
Nam qui Myrmidones vesano neglegit ausu,  
Ausonia fieri magnus in arte nequit.  
Tam bene dicendi tractas præcepta diserte,  
ut possis ipso pro Cicerone legi.  
Hoc munus fuerat Germano Cæsare dignum,  
ac ad Liligeri principis ire manus.  
Sed qui Bavaricæ moderatur gentis habenas  
vendicat hæc proprio dogmata iure sibi.  
Respicit hac solus nam tempestate Camænas,  
et studiosorum sumptibus orsa iuvat." ☩



Fons: Collectio bibliothecæ Antverpiensis c.n. Erfgoedbibliothek Hendrik Conscience, EHC C 1121.

21. *Dialectica seu generalia Logices præcepta omnia*, quod opus primum Coloniae (apud Maternum Cholinum) a. 1555 in lucem prodiit (ubi etiam editio iterata est a. 1562). Postea novæ editiones in lucem datæ sunt e.g. Lovaniæ (apud Johannem Bogardum a. 1566) et Antverpiæ (apud Christophorum Plantinum aa. 1566, 1568, 1569-1570, 1573, 1575 [1574], 1576, 1579, 1581, 1585 et, post mortem Plantini, 1592 [apud viduam, J. Moretum et J. Trognæsum], 1598 [apud J. Trognæsum]); cf. Voet, *Plantin Press*, sub n<sup>o</sup> 1414-1432; Green-Murphy, *Renaissance rhetoric short title catalogue* [cf. adnot. 8], p. 244, cui subiunges Pettegree-Walsh, *Netherlandish Books*, sub n<sup>o</sup> 16077, 16094, 16103, 16105.
22. Unicum exemplar huius operis adhuc notum Duaci adserabatur; a. 1944 autem in incendio Bibliothecæ publicæ (cui nunc nomen Marceline Desbordes-Valmore) conflagratum est. Nova editio huius methodi a. 1576 apud eundem typographum Velpium prodiit sub titulo *Absoluta confiendorum versuum methodus, compendio tradens, quod infinitis prope quorundam scriptis proditum est* [unicum exemplar huius editionis adhuc notum adseratur in bibliotheca universitatis studiorum Gandavensis et nunc etiam in tabulario electronico c.n. Google Books legi potest]; cf. *Bibliotheca Belgica*, sub n<sup>o</sup> 8526 [auctore M. Hoc]. Nonne typographus opera Houtheni et Vossii (que ambo etiam inscribuntur *Absolutissima methodus*) veluti diptycha lectoribus suis proponere volebat?
23. Textus paulo differt ab editionibus modernis, quae habent «inciderunt» (pro «inciderint») et «requirunt» (pro «minime vident»).
24. In margine: Quis hoc in loco dicatur sermo Grammaticus.
25. In margine: Alia etiam hoc tempore est forma Imperii aliæ Republicæ alia religio quam Ciceronis temporibus.
26. Auctor noster hic refert thermas Aquisgrani sitas et Aquas Spadanas.
27. In p. 214 inter errata «Herla» in «Hecla» corrigitur.
28. Magister noster loquitur h̄c de duobus montibus ignivomis: mons Hecla, unus ex maximis montibus ignivomis in insulâ Islandiæ, et mons Ætna, in insula Siciliæ. In textibus recentioris ætatis ambo montes interdum unâ inveniuntur, etiam propter homonymiam ut videtur; cf. e.g. M. Mund-Dopchie, «Fortune des 'Voyages en Septentrion' des frères Zeno aux XVI<sup>e</sup> et XVII<sup>e</sup> siècles: quelques pistes de réflexion», in: *Humanistica Lovaniensia*, 51 (2002), p. 55-81 (p. 72-73) et Ead., *Ultima Thulé. Histoire d'un lieu et genèse d'un mythe* (= *Histoire des idées et critique littéraire* 449), Genavae, 2009, p. 258, 267-269, 282-283. Sæculo sexto decimo mons Hecla ter erupit (a. 1510, 1554 et 1597; cf. <http://de.wikipedia.org/wiki/Hekla>), sicut et mons Ætna (qui erupit a. 1536, 1537, 1566; cf. <http://de.wikipedia.org/wiki/%C3%84tna>).
29. Sæculo sexto decimo in regione Leodiense ferrum carbonesque plane effodi cooperant et in officinis tractari; cf. e.g. J. Lejeune, *La formation du capitalisme moderne dans la Principauté de Liège au XVI<sup>e</sup> siècle* (= *Bibliothèque de la Faculté de Philosophie et Lettres de l'Université de Liège* 87), Leodiæ - Lutetiae Parisiorum, 1939, p. 128 ss.
30. Huic carmini præmittitur (p. 212) approbatio censoris («Regius Librorum Visitator») Johannis Molani (1533-1585), S. Th. Professoris Lovaniensis.
31. Etiam in carmine quod Rolandus Vinchelius Brugensis (ca. 1560 - post a. 1598) cardinali Sirleto, patrono Vossii, circiter a. 1576 ut videtur dicavit, Vossius collaudatur ut versifex. Scripsit enim Flander ille: «Hanc [sc. Tuam gloriam] Italum regina colit pulcherrima Roma / in cuius plausum festa theatra sonant. / Hanc stupet Aonidum rectorque comesque sororum / Pars desiderii Vossius una tui. / Vossius Æschyleo memorat tua gesta cothurno, / Pindarica feriens carmina digna lyra.» (Editionem huius elegii Sirleti invenies apud J. IJswijn, «The Life and Works of the Neo-Latin Poet Adeodatus Marivorda (1556-1584)», in: *Humanistica Lovaniensia*, 17 (1968), p. 1-49 [p. 48-49].) Etiam in editionibus SS. Patrum quas Vossius Romæ in lucem edidit, nonnulla carmina liminaria Latine scripta invenies.

# DE TRIBVS POEMATIIS, QVÆ SVB TORQVATI TAXI NOMINE FERVNTVR, SPVRIIS

– *scripsit Theodericus Sacré* –

**P**erlibenter evolvi quæ de Torquato Taxo versificato-  
re Latino nuperrime scripsit atque in novissimo  
*Melissæ* libello divulgavit Paula Marongiu, mulier  
Latinis litteris recentioribus non mediocriter docta.<sup>1</sup>  
Est enim operæ pretium cognoscere atque æqua pende-  
re lance quæcumque tantus poeta Italus Latinis versi-  
bus includere est conatus. Sunt vero pauca, fateor, ab  
ipso Latine exarata, quæ ad nostram pervenerunt æta-  
tem, quippe quæ (nihil ut dicam de adnotationibus ad  
Aristotelis, Scaligeri, aliorum opera, quas inter legen-  
dum librorum marginibus Latine ille appinxerat)<sup>2</sup> poe-  
matiis contineantur omnino novem. Timeo autem ne  
numerus iste tralaticius atque is quidem parvus ad  
minorem iam sit redigendus, tribus inde uno ictu demptis;  
qua minutiōne obelo notabuntur atque secludentur  
ea quæ longe optima esse passim dicebantur, remane-  
bunt quæ ab optimis illis procul distare videantur.

Nam inter omnia carmina Taxi Latina excellere uno  
semper ore consensere viri docti id quod *Ad nubes* ins-  
cribitur;<sup>3</sup> hinc mirum non est si Paula Marongiu, ante-  
cessorum ingressa vestigiis, ab eo ipso poematio com-  
mentationem auspicari statuit, gustum ut daret  
Camenæ Taxianæ eiusdemque venustatem auribus  
legentium atque animis inculcaret. Ceterum id ipsum  
carmen laudibus extulerat Iosephus quoque IJsewijn,  
vir in litteris neolatinis eximie versatus; qui cum prior-  
rem *Ancillæ studiorum neolatinorum* editionem anno  
1977 parasset, Taxianam illam gemmam curaverat inclu-  
dendam: nam exiguo quodam textuum recentiorum  
florilegio, quos admodum elegantes iudicaverat atque  
uberrimis e cornu copiis Latinis delegerat, librum  
illum egregium instruxerat. Tredecim post annis laudi-  
bus denuo ornatum est carmen in priore *Ancillæ* parte  
secundis curis eodem auctore edita.<sup>4</sup> Mox vero, anno  
videlicet 1993, multis argumentis eisque validis com-  
probavit philologus quidam Italus nomine Poma inter  
fetus Taxianos illegitimos ac spurios esse numerandos  
versus inscriptione *Ad nubes* munitos.<sup>5</sup> Nihilo minus  
viri quidam docti qui Taxum postea attigerunt, com-  
mentationis illius ignari, id carmen tamquam legitimi-  
num poetæ partum proferre ac dilaudare perrexerunt.  
Qua in re Paulam Marongiu præcesserunt Adelaidis  
Maria Giannangeli et Stella P. Revard, quarum altera  
anno 1995 laudavit versus illos gustus vere Horatiani  
eosque denuo attulit, altera anno 2001 Pindari hymnum  
quendam eisdem subaudiri asseveravit.<sup>6</sup>

At erat cur gravem in suspicionem veniret lyricum  
illud carmen, quippe quod toto cælo distaret a ceteris  
poetæ conaminibus Latinis. Nam cum cetera essent  
mediocria, hoc unum omnibus numeris perfectum  
atque absolutum videbatur esse; quam rem etsi mira-

bantur nonnulli viri docti, per valetudinem tamen  
poetæ debilem excusabant,<sup>7</sup> qua factum esse suspica-  
bantur ut ægrotatione ille corporis mentisque ægritudi-  
ne affectus hæsitaret in versibus condendis, cum in  
iuventute nemo homo ad versus elegantes Latine pan-  
gendo fuisse magis idoneus – id quod versus *Ad  
nubes* manifestassent. Id utcumque erat, suspicioni erat  
locus ea etiam de causa, quod Taxus, cum cetera poe-  
matia a se conscripta alibi memoravisset suaque ipse  
manu exscripsisset, huius tamen odæ ne mentionem  
quidem iniecit alicubi neque exemplum reliquerat  
autographum. Huc accedebat quod Musa eius, versibus  
dactylicis fere contenta, unicum hoc ei carmen syste-  
mate quodam lyrico et Horatiano ut expoliret impera-  
visse videbatur; cuius argumentum quoque ipsum  
prorsus differebat a ceteris. Itaque anno 1993 philolo-  
gus ille, quem dixi, Italus potentissima attulit argu-  
menta, e quibus patuit oden *Ad nubes* non esse  
Taxianam, idemque vir doctus primus omnium vidit  
carminis auctorem esse Laurentium Friz(z)olium, poe-  
tam Ariminensem seu Solianensem; cuius sub nomine  
iure optimo ferri in ea carminum serie notissima, cui  
est titulus *Carmina illustrium poetarum Italorum*;  
dubium esse nullum quin carminis auctor esset  
Frizolius, cum et argumenta poetice exposita et dicendi  
genus ipsum et metra adhibita omnino congruerent  
cum reliquis eiusdem poetæ carminibus. Restabat ergo  
ut inquireret Poma undenam versus ii tamdiu pro  
Taxianis essent habiti. Codicibus igitur manu scriptis,  
qui vel Taxi opera continebant vel cum poeta quodam-  
modo coniuncti erant, singulis universis diligenter  
excussis, librum quendam manu scriptum offendit  
unde error tandem posset explicari: codice enim illo  
continebantur epistulæ quædam Taxianæ a viro ignoto  
sæculo XVII descriptæ atque ad philologum Taxi studio-  
sum missæ; quas se vir ille incognitus in bibliotheca  
Ferrarensi repperisse commemoravit; his autem litteris  
adiecerat idem vir a sese item exscriptum foliolum  
quod seorsum a ceteris ibidem invenerat manu fortasse  
eadem, hoc est Taxiana, scriptum; erant in eo foliolo  
versus aliquot sine nomine, Taxo fortasse attribuendi.  
Hos ergo versus descriptos longo post tempore Petrus  
Antonius Serassi, vir Taxi valde studiosus, cum denuo  
deprehendisset, facile eo est adductus ut testimonium  
illud vetus fide dignum iudicaret crederetque versus  
eos sine nomine conditos re vera e Taxi fluxisse  
calamo; ac paulo post eius exemplum imitati sunt edi-  
tores; itaque sæculo XIX id carmen eis adiunxere versi-  
bus, de quorum origine nullum erat dubium, idque  
divulgavere cum ceteris opellis eius Latinis; atque iis  
philologis, qui post floruerunt, exploratum erat in

Taxianam illam, ut ita dicam, supellectilem Latinam nullam irrepere potuisse partem adulterinam sive spuriam.

Ego vero pro certo habeo eiusmodi errores sæpius esse admissos ab eis qui litteris Latinis sive antiquis sive recentioribus dederunt operam; hic illic falsa opuscula immixta esse veris. Namque et arduum est interdum in hoc campo, ubi agitur de codicibus manu scriptis, manum alteram ab altera plane distinguere, et sæpicule testimoniis quibusdam vetustioribus necesse est confidamus, cum præsertim, codicibus non ita paucis temporum iniuria deletis, ad apographa undique congesta configere debeamus. Quin immo fit interdum ut litterarum studiosi qui nunc sunt adsimiles in errores incidunt; in quos eo facilius inducuntur, si quis forte poeta aliorum versus sua ipse manu in codice exscripsit omisitque auctoris nomen. Nam, ut exempla duo ponam, Alfonsus ille Traina, eximius philologus natione Italus, cum Iosephi Albini (1863-1933) carmina congereret atque inter chartas eius viri carmen quoddam invenisset, ipsius manu exaratum, c.t. *Carmen in Benitum Mussolini ducem*, cito sibi persuadere potuit ut id inter inedita Albiniana reponeret;<sup>8</sup> postea vero ab amico quodam monitus est carmen illud non ab Albino scriptum esse typisve divulgatum, verum ab Aloisio Iluminati (1881-1962).<sup>9</sup> Ego vero ipse (fateri erubesco) in eiusmodi errorem abhinc viginti annos sum lapsus, cum Parisiis magna quadam animi commotione (probe memini) non perfunctorie pervolutarem copiam chartarum manu Andreæ illius Chénier (1762-1794), summi poetæ, scriptarum; in quibus cum invenisset odem quandam Latinam, quæ quidem saporis erat Horatiani et tam in carminibus Horatiani quam in Chenierii operibus omnibus desiderabatur, ita protinus sentiebam, me novum atque incognitum carmen tanti poetæ offendisse, quod ille ad imitationem Horatii, poetæ a se in deliciis habitu, Latine lusisset; quod ego anno, qui tum secutus est, publici iuris feci, non levem me ad Chenieri opuscula Latina accessionem ita fecisse opinatus.<sup>10</sup> At longo intervallo ipse didici carmen illud stili Horatiani sæculo XVIII, cum vitam iam introisset Chenierius, pro Horatiano vendidisse philogum nescio quem, qui id ipse, ut videtur, effinxisset, dein se in bibliotheca quadam repperisse inter Horatiana contendisset; id nescio ubi legisse Chenierium suaque exscripsisse manu.<sup>11</sup>

Quid multa? His et similibus exemplis admonemur ut in litteris elegantioribus cautissime omnia agamus; neque hic solum agitur de edendis operibus atque in suos auctores conferendis, verum etiam de eisdem existimandis. Namque si quid a divino poeta scriptum esse putamus, ne ita cæcutiamus interdum est periculum,

ut singula eiusdem verba singulosque versus virtutibus insignitos esse velimus non minus divinis. Itaque Carola Maddison, mulier docta de poesi lymphatica merita, cum carmen *Ad nubes*, quod Taxianum esse credidit, illustraret, facere non potuit quin asseveraret carmen illud lyricum a ceteris odis Horatianis, quarum extaret numerus fere innumerabilis temporibus renatarum litterarum scriptus, prorsus differre; hanc enim odem Taxianam ad Shelleium, poetam Anglicum, proxime accedere, immo et Byronicum nescio quid resipere vel potius prænuntiare.<sup>12</sup> Ad tale iudicium levi a risu temperare ut fortasse nequeas, tamen maius esse quidam mihi credas, quod inde discas: in ingenti illo poetarum neolatinorum proventu ac messe non solum eos poetas, qui omnium consensu primas teneant, perquam dignos esse qui legantur, sed eos etiam pollere vi et facultate poetica qui a primis longo intervallo seiuncti esse dicantur. Vel Frizolii illius poemata veneribus minime parent, quæ e multis selegerunt ineunte sæculo XVIII editores bibliothecæ illius, cuius est inscriptio *Carmina illustrium poetarum Italorum*. Nec tamen quisquam ad illustrandam eius viri vitam carminave paulo penitus enarranda his centum annis, quantum scio, sese accinxit; prætermiserunt virum qui præsunt operum seriei edendæ quæ *Dizionario biografico degli Italiani* inscribitur; nil de eo legitur apud Marium Cosenza,<sup>13</sup> nil omnino apud Ellingerum;<sup>14</sup> immo ne mentio ipsius fit apud Ferrarium in utilissimo *Onomastico*,<sup>15</sup> neque habent libri illi quibus titulus *Indice biografico italiano* quod ad eum spectet sitve cognitu dignum.<sup>16</sup> Itaque si quid de eo comperire velis, configrias oportet ad vetusta admodum opera; qualia sunt *Anecdota litteraria ex mss. Codicibus eruta. Vol. III* (Romæ, 1774), curante Iohanne Chr. Amadutio,<sup>17</sup> et Hieronymi illius Tiraboschi *Historia litterarum Italicarum*.<sup>18</sup>

Sed ut eo revertamur, unde digressi sumus, carmen illud *Ad nubes* a Frizolio scriptum, quod tamdiu pro Taxiano est habitum, sæculo XVIII est divulgatum inter *Carmina illa illustrium poetarum*. Habet ea editio Florentina, si cum Pavoniana et Altamuriana comparatur,<sup>19</sup> variantes lectiones quasdam, de quibus nihil retulit Franciscus ille Poma; earum ceteræ futilis mihi videntur esse ac statim fere reiciendæ vel typographorum incuriae imputandæ,<sup>20</sup> una digna, ni fallor, quæ heic memoretur. Nam post versum vicesimum quartum duos exhibent versiculos *Carmina illustrium poetarum Italorum* quæ desiderantur in ceteris editionibus recentioribus quæque nos Italicas litteris hic exscripsimus – implorat autem poeta ad instar Pii, pontificis maximi eius nominis quinti, pluvias a nubibus:

Vos in pinifero vertice seu tenet  
 Atlas seu Scythiae latus,  
 Seu vasto Oceani luditis æquore,      24  
*Nunc ceu vellera candidæ,*  
*Nunc<sup>21</sup> sparsæ maculis corpora fumidis,*  
 Fetus imbriferos date,      25<sup>22</sup>  
 Rores in gremium spargite torridæ  
     Matris, munera, roscidæ  
 Nubes, vestra Pio fundite Maximo.

Qui nunc rerum est status, tam pauca de Frizolio mihi sunt nota, ut ne indicare quidem valeam quo anno quoive loco carmen *Ad nubes* Frizolianum in lucem publicam primum prodierit; immo, ne asseverare quidem audeo typisne sit ipsum excusum anno circiter 1570 (id quod veri mihi videtur esse simillimum), an in codicibus manu scriptis diutule diuine delituerit. Ceterum qualis fuerit textus primigenius ignoro; nam non me fugit editoribus *Carminum illustrium poetarum Italorum* fuisse moris ut, si quid offendissent quod parum elegans esse sentirent, facile id mutarent. Scio equidem Frizolium libellos nonnullos poeticos edidisse, quorum est præcipuum *Sacellum Gregorianum* (Romæ, 1582), quod carmen laudibus extulerunt Marcus Antonius Muretus, Laurentius Gambara, Antonius Quærengus, Silvius Antonianus, Aurelius Urs(i)us, Latinus Latinius (en nomina minime spernenda!),<sup>23</sup> alii Latini sermonis auctores; accedit carmen *In sanctam Lauretanam aedem* (sine loci anniye mentione divulgatum); præterea vir ille venæ facilioris poematis suis exornare solebat amicorum quorundam carminum libellos, uti Francisci Bencii, Aurelii Ursi, Laurentii Gambaræ; porro versus ab ipso conditos exhibent non invenustos *Carmina illustrium poetarum Italorum*, quorum mentio iam aliquotiens est facta; atque elegantes sunt elegi, quos operi ille præmisit Italice scripto, cui est titulus *De gli obelischi di Roma di Monsig. Michele Mercati protonot. Apostolico. Alla Santità di N.S. Sisto Quinto pontefice massimo* (Romæ, 1589);<sup>24</sup> nec denique illud est omittendum quod carmina eius complura asservantur manu scripta in bibliothecis minime paucis, quæ sunt Augustæ Taurinorum, Bergomi, in Civitate Vaticana, Ferrariae, Foro Livii, Mediolani, Mutinæ, Parisiis, Parmæ, Tarvisii, Utini.<sup>25</sup> Utinam viri docti qui faciliorem ad bibliothecas eas plerumque Italicas habeant accessum, Frizolium illum ab oblivione vindicare dignentur atque enitantur ut locus ei in litteris debitus tandem aliquando reddatur! Iam enim ex ipsis eis necessitudinibus, quas ille cum poetis et solutæ orationis scriptoribus<sup>26</sup> optimæ notæ fecerat, colligere licet virum suo ævo fuisse neque ignobilem

neque præclaris ignotum poetis. Qui solutam quoque excoluit orationem Latinam eamque elegantem, id quod, ut alia omittam, demonstrat dialogus ille brevis quem de Lilio Gregorio Gyraldo amico eodemque viro doctissimo ac Latinissimo lusit.<sup>27</sup>

Reliquum est ut paucissima dicam de duobus iis epigrammatis quæ Taxo tribuuntur quæque ita incipiunt: «Est Helene forma» et «Virtutis splendor»; namque ea quoque memoravit Paula Marongiu. Eiusdem igitur sunt ea fere condicionis ac status, quo carmen *Ad nubes* datum: nam nævo deturpantur nullo et facili commendantur elegantia. At neque hæc inter autographa reperiuntur Taxiana et de eis poetæ semper fuit silentium. Immo refert Aloisius ille Poma,<sup>28</sup> utrumque epigramma auctoris nomine vero insignitum (alterum scripsérat Celsus Mollius quidam, alterum Carolus Paganus) iam anno 1585 typis excusum ac publici iuris ese factum;<sup>29</sup> anno autem 1597 adulescentem quandam carmina quædam Italica Torquati Taxi in unum libellum congregasse, additis aliorum poetarum fructibus; hæc omnia suppressis auctorum nominibus; in his fuisse duo ea epigrammata; quæ ineunte saeculo XVIII exscripta esse a Serassio atque inde in editiones Taxianas irrepsisse immerito. ☩

1. «De Torquati Taxi carminibus Latinis», *Melissa*, 168 (2012), 4-7.

2. Cfr. Vido Baldassari (ed.), *La biblioteca del Tasso. I postillati «barberiniani»*, I: *Postille inedite allo Scaligero e allo pseudo-Demetrio*, Quaderni degli «Studi Tassiani», 3 (Bergomi, 1983); Lucianus Capra (ed.), *Note di Torquato Tasso a «De cælo» di Aristotele*, Esami, 2 (Ferrariae, 1993).

3. Cfr. Marongiu, «De Taxi carminibus», p. 4. Versu autem 4° legas «E vestro gremio cum sonitu horrida»; versu 11° et 12° «Imbris mittitis, et sata / Læta humore alitis. Vos sitientibus».

4. Cfr. Iosephus IJsewijn, *Companion to Neo-Latin Studies* (Amstelodami, Novi Eboraci, Oxonii, 1977), pp. 336-337; Id., *Companion to Neo-Latin Studies*, I: *History and Diffusion of Neo-Latin Literature. Second entirely rewritten edition*, Supplementa Humanistica Lovaniensia, 5 (Lovaniæ, 1990), p. 45.

5. Cfr. Aloisius Poma, «Apocrifi tassiani», in libro quem edidere Franciscus Gavazzeni - Guelmus Gorni, *Le tradizioni del testo. Studi di letteratura italiana offerti a Domenico De Robertis* (Mediolani et Neapoli, 1993), pp. 201-208. Rem nuntiavit Iosephus IJsewijn cum Theoderico Sacré, *Companion to Neo-Latin Studies*, II: *Literary, linguistic, philological and editorial questions. Second entirely rewritten edition*, Supplementa Humanistica Lovaniensia, 14 (Lovaniæ, 1998), p. 87 (adnot. 3) et p. 508.

6. Cfr. Adelaidis Maria Giannangeli, «De Torquato Tasso, Latinitatis cultore», in commentariis q.t. *Latinitas*, 33 (1995), 321-334; Stella P. Revard, *Pindar and the Renaissance Hymn-Ode: 1450-1700*, Medieval and Renaissance Texts and Studies, 221 (in urbe Americana, cui nomen Tempe, 2001), pp. 229-230 et passim. At Stella Revard, etsi Taxum passim pro carminis auctore habet, tamen

- semel (p. 230 in adnot. 16) asseverat esse qui versus eos diverso assignent poetæ («The ode has also been attributed to Lorenzo Frizolio»).
7. Cfr. Georgius Ellinger, *Geschichte der neulateinischen Literatur Deutschlands im sechzehnten Jahrhundert, I: Italien und der deutsche Humanismus in der neulateinischen Lyrik* (Berolini et Lipsiæ, 1929), p. 315: «Er unterstützt mit einer poetischen Bitte das Flehen Pius' V um Regen bei einer grossen Dürre (...). (...) Ungleich höher steht das oben an erster Stelle erwähnte Gedicht für Pius V: es stammt auch aus der besten Zeit Tassos (1570). Wenn er hier die Macht der Wolken charakterisiert, um daran die Bitte um Regen zu knüpfen, so ist doch ein poetischer Hauch zu spüren, und die sanften Worte schmiegen sich willig den Gedanken an, wie denn auch das verwendete lyrische Mass mit Feinheit gehandhabt wird.»
8. Cf. Giuseppe Albini, *Carmina inedita a cura di Alfonso Traina*, Quaderni della Biblioteca di Discipline Umanistiche, 2 (Bononiæ, 1988), pp. 84-90.
9. Cf. Alfonso Traina, «Una falsa attribuzione», *Studi e Problemi di Critica Testuale*, 62 (2001), 199-200.
10. «De Latinitate recentiore et recentissima sive oratio inauguralis Antverpiensis», in libro quem edidere Iosephus IJsewijn et Theodoricus Sacré, adiutoribus Antonio Van Houdt et Lina IJsewijn-Jacobs, *Acta selecta Octavi Conventus Academiae Latinitati Fovenda (Lovani et Antverpiæ, 2-6 Augusti MCMXCIII)* (Romæ, 1995), pp. 21-38 (v. pp. 28-29). Carmen, c.t. *Ad Iulium Florum*, primus autem versus «Discolor grandem gravat uva ramum», in bibliotheca «nationali» offenderam (cod. NAF 6851, f. 306r).
11. Id vidi cum inquirerem in scripta Latina Petri Hofmanni Peerlkampii, poetæ Latini eiusdemque acerrimi carminum Horatianorum iudicis: cfr. *Q. Horatii Flacci Carmina*. Recensuit P. Hofman Peerlkamp (Harlemi, 1834), pp. XXVII-XXX (at idem Peerlkampius alia haud pauca, quæ Horatius ipse scriperat, pro spuriis habebat, uti 1, 20 («Vile potabis»), quod carmen scholasticum esse putabat, et 1, 30 («O Venus, regina»), quem centonem appellavit); *The Monthly Review; or, Literary Journal, Enlarged (...)*, 3 (Londinii, 1790), pp. 287-288; *Anthologia veterum Latinorum epigrammatum et poematum*. Editionem Burmannianam digessit et auxit Henricus Meyerus Turicensis, I (Lipsiae, 1835), pp. 41-42. Alias de hoc carmine tam Horatio quam Chenierio perperam tributo sum dicturus.
12. Cfr. Carola Maddison, *Apollo and the Nine. A History of the Ode* (Baltimore, 1960), pp. 137-140: «Yet it is a thing apart from the thousand Horatian odes written in the Renaissance; Tasso makes Horace serve him in the creation of an ode that is nearer Shelley's than anything ancient. (...) But there is something of Byron about this ode, too» (p. 137). Cfr. etiam Hannu Riikonen, *Ad Nubes - The Horatian Ode of Torquato Tasso*, Annales universitatis Turkuensis, B/Humaniora, 156 (Aboæ, 1982); qui ostendit quatenus sit Horatianum carmen id «Taxianum»; tum elementa affert quæ e Christifidelium scriptis primigeniis sumpta videntur; denique locos quosdam laudat e carmine heroo Tusce a Taxo scripto excerptos atque ad rerum natu-ram pluviarum sientem referuntur.
13. Cfr. Marius AEmilius Cosenza, *Biographical and Bibliographical Dictionary of the Italian Humanists and of the World of Classical Scholarship in Italy, 1300-1800* (Bostoniæ, 1962-1967), 6 voll.

14. Cfr. Ellinger, *Geschichte der neulateinischen Literatur*.
15. Cfr. Aloisius Ferrari, *Onomasticon. Repertorio biobibliografico degli scrittori italiani dal 1501 al 1850*, Bibliotheca Veneta, 1 (Mediolani, 1943).
16. Cfr. *Indice biografico italiano*. 4a edizione corretta ed ampliata, ed. Thomas Nappo, 10 vol. (Monachi, 2007).
17. Cfr. pars decima: «Lettere italiane di alcuni illustri scrittori del secolo XVI (...), imprimis pp. 400-402 et 411-417. Eduntur ibi tres epistulæ Italice scriptæ; dignus memoratu mihi videtur hic locus Latine insertus, qui legitur in epistula Ludovici Cardinalis (de) Torres (junioris) ad Frizolium data ex Urbe, exente mense Iulio anno 1592: «Laurens optime, & carissime, fruere isto otio; Christum passum nobili poemate explica; extremo autumno urbem cogita. Interim Ludovici tui ne obliscitor. Vale». Frizolius Italice «Lorenzo Frizolio» ibi nuncupatur; viri recentissimi rei bibliographicae periti etiam «Frizzoli» scribunt.
18. *Storia della letteratura italiana*, VII: *Dall'anno MD fino all'anno MDC*, 4 (Mediolani, 1824), pp. 2100-2101. Inde discimus Cæsarem Gonzagam, virum nobilissimum, a Frizolio anno 1570 frustra petivisse ut filium suum tum septennem domi erudire vellet.
19. Franciscus Pavone, *I carmi latini del Tasso* (Catinæ, 1968), pp. 63-68; Antonius Altamura, «I carmi latini del Tasso secondo gli autografi di Napoli e di Parma», *Biblion*, 1, fasc. 2 (1959), 124-138 (pp. 129-130).
20. V. 3 exhibet apud *Carmina illustrium poetarum Italorum* (in vol. 5 [Florentiæ, 1720], pp. 139-140) «quæ pro «qua»; v. 18 «arescent» pro «arescunt» (lectio prior est tolerabilis, at magis convenit posterior); v. 20 «en» pro «ex»; v. 22 «o» pro «in»; v. 31 «o tandem requiem» pro «tandem o vos requiem» (lectio posterior euphonie magis inservire mihi videtur).
21. *Nunc*: correxi; *Hunc* ed.
22. Inepta plane sunt quæ de hoc versu scripsit Franciscus Pavone, *I carmi latini*, p. 66.
23. Cfr. Iohannes Carbonell Manils, «Latini Latinii epistulæ ad Antonium Augustinum missæ cum quibusdam comentariis [sic!] auctæ nunc primum editæ», *Faventia*, 19/2 (1997), 149-174 (pp. 162-163, in epist. 26).
24. Pf. \*\*r-\*\*3r.
25. Cfr Paulus Ansgarius Kristeller, *Iter Italicum. A Finding List of Uncatalogued or Incompletely Catalogued Humanistic Manuscripts (...)* (Londini et Lugduni Batavorum, 1965-1997), voll. 1-3, 5 et 6, passim.
26. Veluti cum Bartholomæo Riccio Lugiensi, cuius extat ad Frizolium epistula (heu anni expers), qua Riccius amico gratulatur quod ad munus quod-dam in Urbe est provectus eundemque hortatur ut oden canat: cfr. *Operum Bartholomæi Ricci Lugiensis tomus secundus (...)* (Patavii, 1747), pp. 213-214.
27. Cfr. *Dialogismus unicus Laurentii Frizzolii Solianensis ad clariss. V. Achillem Bocium equitem Bonon. De Lilii operibus deque eius vita breviter, in opere quod inscribitur Lilii Gregorii Gyraldi Ferrareni. Suarum quarundam annotationum Dialogismi XXX (...)* (Venetiis, 1552), p. 161-166.
28. «Apocrifi tassiani», pp. 206-208.
29. Cfr. etiam Pasquinus Crupi (ed.), *Rime in lode della illustrissima et eccellentissima signora donna Giovanna Castriota Carrafa duchessa di Nocera (...)*, Classici della letteratura calabrese (Soverie Mannelli, 2003) (quem librum non vidi).





# *In hoc fasciculo !*

*Iter in insulam Cyprum (I) [F. Deraedt] p. 1*

*De Thomae a Kempis sermone atque opere*

*quæ Ioannes Aggerius Harlemensis disseruerit [V. Jenniges] p. 3*

*De immenso cælo (II) [G. Licoppe] p. 7*

*De Gerardi Vossii Borchlonii ‘Artis rhetoricae methodo’ nuper reperta (II) [S. Gysens] p. 10*

*De tribus poematiis, quæ sub Torquati Taxi nomine feruntur, spuriis [S. Sacré] p. 13*

*Imago tegumenti :*

*Editio Veneta ‘Imitationis Christi’ a. 1485, per Dionysium et Peregrinum eius socium Bononienses.*

*‘Imitatio’ falso bic tribuitur Ioanni Gerson cancellario Parisino.*

*Exemplar adservatum in bibliotheca Parisina Danielis Blanchard.*

---

## **Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :**

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoria narrationes veste Latina induitæ.* Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigatibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto fantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 12,5 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*  
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

I. GOTTHELF, *De Aranea nigra*, in Latinum vertit Nicolaus Gross

Duplex fabula, partim festiva, partim terrifica, qua præclarus poeta Helvetius narrat vitam agricolarum temporum præteriorum. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

